



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10263**

Vita S. Vuenefridæ virginis & martyris

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77423)

pago ita aliena immensisque est reperta, quemadmodum tempore Carlomanni Regis legitur inuenta fuisse, & terra mandata. Quod quantum sub ipsius principis tempore, erga praefati sancti viri corpus, per tot elapsa tempora incorrupte servatum virtus divina claruerit seriem huius libelli paulo superius repetendo perspicaciter legat, ibique quanto honore, quantave illatione & incorruptione protectio divina illud donaverit, rationabiliter comprehensum fideliterque annotatum, perspicillè colligere quibit. Cum igitur nil detrimenti, nilque corruptionis in corporis eiusdem sancti viri prima translatione, quae facta est sub memorato principe, comperit fuisse didicerit, nullo modo, quod in hac secunda, quae facta est à Vualcando praefule sub pijssimo Deoque amabili Ludouico Caesare, sepediti sancti viri corpus solidum illaefumque, eadem Christi gratia protegente, inuenire quiverit, dubitabit. Ac per hoc totius ambiguitatis nubilo exutus, veritatisque perspicuae luce perfusus, nil nisi quod miretur, & vnde divinae potentiae multiplices grates dignè persoluat inueniens, Deum proculdubio mirabilem gloriosumque, sicut in ceteris sanctis suis, ita quoque in huius fidelissimi serui sui corpore, tot tantorumque donorum prerogatiuis, legi naturae vim inferentibus, honorato & glorificato, toto annisu praedicandum cernuis vocibus exclamabit. Interfluxit autem spatium temporis à prima usque ad secundam translationem, annorum circiter septuagintaquinque, regnante Domino nostro Iesu Christo, & pollicente suis se usque ad consummationem seculi affurum fidelibus, eorumque agonibus misericorditer opulante, triumphosque feliciter atque ineffabiliter remunerante: Qui viuit cum patre in vnitate spiritus sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Plal. 67.

Mart. 28.

Cap. 25.  
Christus S.  
Huberto ap-  
paret inter  
cornua cer-  
ui.

Haecenus ex MS. vetusto codice. Sunt autem, qui scribant beatum Hubertum filium fuisse Bertrandi ducis Aquitaniae, & ei adhuc pagano venationi operam danti, inter cerui cornua Christum apparuisse, & vt ad Lambertum Episcopum iret, admonuisse. Ab eo vero humaniter acceptum, infide instructum, atque vndis salutaribus expiatum esse. Indè Romam profectum ad visitanda Apostolorum limina. Interim vero preceptum sanctum Lambertum, atque in eius locum beatum Hubertum subrogatum.

VITA S. VVENEFRIDÆ VIRGINIS ET  
MARTYRIS, PER F. LAVR. SVRIVM COMPRAEHEN-  
sus conscripta. De huius sanctae virginis vita scripsit Ropertus Abbas Salopien. & nisi  
fallor, is est author eius vitae, quam nos hic mutato stylo aliquanto breuiorem  
edimus. Claruit autem Ropertus Abbas anno 1140. ad cuius monasteri-  
um, huius virginis ossa translata sunt anno 1138.

Novēbris 3  
Beunous vi  
sanctis.



S. Vvenefri-  
da ab eo in-  
stituitur.

Vvenefrida  
statuit vir-  
go perma-  
nere.

BEUNOUS vir sanctissimus, multis clarus virtutibus, in Occidentali maioris Britanniae regione enituit. Is contempto paterno solo, pauper aufugit, factusque monachus, breui in perfectum euasit virum. Cumque diuersis in locis monasteria condidisset, fratresque in ijs Christo seruituros congregasset, diuinitus admonitus, aliò profectus est, à Domino ipsi destinatum quaesiturus habitacionem. Tandem ad praedium Teuithi hominis potentissimi peruenit, orauitque illum, vt portionem quandam possessionum suarum Deo & ipsi largiretur, in qua ecclesiam ex-  
truere, atque in ea Deo seruire, & pro eius salute quotidie Dominum deprecari posset. Ille vero non difficulter annuit, immò etiam vnicae filiae suae Vvenefridae mores conformandos illi commendauit. Eam vir sanctus quando ad populum concionabatur, ad pedes suos sedere iussit, & sermones suos diligenter auscultare. Vnde factum est, vt in dies seipsa melior effeeta, auctaque sapientia, ab omni viri toto prorsus abstinere constitueret. Sed cum id parentibus indicare reformidaret, ad virum Dei accessit, ait sibi deliberatum esse virginem se Christo conseruare incontaminatam: orauit, vt à parentibus id ipse sibi impetraret. Assensit vir sanctus, dicit se accuratè ea de re cum parentibus acturum.

Venit

Venit ergo ad parentes puellæ, iſque cognito virginis propoſitò, fundunt lachrymas, laudant Deum, & libentibus animis aſſentiuntur. At illa ſedens identidem ad pedes viri Dei, ardentis deſiderio hauriebat, quæ ille dicebat de gloria ſponſi celeſtis, nec quicquã in ſuum peſtus admittebat terrenum, crebrò noctibus in eccleſia vigilabat. Solebat nonnunquam etiam importunè petere à ſancto viro, vt ſermonem texeret de vita & moribus ſponſi immortalis, audiensque de illius excellentia, decore & maiestate, contemptum omnis terrenæ iucunditatis concipiebat, & ſpiritualis lætitiæ indiſcientem materiam ſuo in peſtore colligebat. Etsi autem ætate adhuc eſſet tenera, moribus tamen & animo cana erat, prauas cupiditates omnes planè contemnens.

Cùm autem quodam Dominico die parentes eius iuiſſent ad eccleſiam, & illa neceſſariò domi ſola remanſiſſet, Cadocus Alani Regis filius iuuenis, in eius ædes aduenit, eamque ad focum ſolam ſedentem inuenit. Illa cernens Regis filium, ſurgit ocyùs, ſubmiſſè rogat, ecquidnam ſibi velit. Tum ille: Scis, inquit, me eſſe Regis filium, multis opibus & honoribus conſpicuum, & qui te quoque magnis poſſim augere diuitijs, ſi meæ velis parère voluntati. Sentiens virgo pudica de concubitu illum verba facere, paululum demifſo vultu & rubore ſuffuſa, primò quidem præ ſe fert, grauitè ſe dolere, quòd tam parùm cultam ipſam inueniſſet, aitque ad eum: Cùm tu regio ſis ortus ſtemmate, & Deo volente, regni gubernacula ſuſcepturus, non dubito me diuitem & beatà poſſe fieri, ſi tuo coniugio aſſentiar. Sed quæſo te, parumpèr ſuſtine aduentum parentis mei. Interim ego ingrediar in cubiculum, moxque ad te reuertar. Dixit hoc, vt poſſet ab illo ſe ſubducere, quem videbat libidinis flamma incenſum, præ amore propè amentem fieri. Permiſit autem iuuenis, vt in cubiculum ſe reciperet, putans illam benè comptam ilicò redituram. At illa per aliud cubiculi oſtium exiens, præpeti curſu ad eccleſiam properabat. Quod vbi ſenſit iuuenis, magno furoris cœſtro percitus, diſtrictò enſe eam celeriter inlequitur, toruiſque eam luminibus intuens: Olim, inquit, te amaui, mihi que te coniungere volui: & tu nunc ad te veniètem fugis & habes contemptui? Notum ergò ſit tibi, niſi mihi ſponrè tui modò copiam feceris, conſeſſum me ablatum caput tuum. Reſpondet illa conſtanti & infraſto animo: Ego verò Regi aeterno, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, matrimonio iuncta ſum, nec vllum alium admittere poſſum: & nè diu ſuſpenſum te teneam, nõueris, dum ſpiritus hõs reget artus, neminem me admiſſurã præter illum. Fac ergò quicquid erit libitum, & quanta maxima potes, in me feritate incurte. Me enim neque terrores tui, neque blanditiæ, nec promiſſa, nec munera ab illius amore ſuauiſſimo poterit ſeparare, cuius caſſis amplexibus adſtricta ſum. Cernens inceſtus iuuenis ſe contemni à virgine, libidinis impotentia victus, caput ei præciderit. Simul autem atque corpus virginis humili collapſum eſt, fons illic mirè perſpicuus & ingens erumpit, qui hodieque manare non deſinit, multis morbidis permerita ſanctæ virginis ſalutem adferens. Caput autem, quòd in monte præciſum eſſet, facile à monte deuoluebatur in ipſam vſque eccleſiam, magnoque terrori fuit cunctis illud adſpectantibus. Cùmque omnes dicerent tam immane ſcelus vlcifcendum eſſe, eiusque authorem deteſtarentur, parentes virginis internum animi dolorè inuictu & eiulatu teſtabantur.

Interim homicida cruentus tergebat gladium ſuum ad herbas, & quia filius Regis erat, aiebat ſe nihil in eo perpetrando facinore Deum timuiſſe. At vir Dei Beunous, eius ſuperbiam & animi obſtinationem non ferens, cùm in manibus haberet caput virginis, acceſſit ad eum, & ait illi: O te ſceleſtum, qui regis dignitatis puellam crudeliter iugulaſti, cur te non pœnitet tãtum admiſſe flagitium, quo ipſam quoque eccleſiam cõtaminãſti, & Deum prouocaſti? Quando ergò nec eccleſiã peperciſti, nec diei Dominico reuerentiam præſtituſti, oro Deum meum, vt reddat tibi in præſentia, quod mereris. His dictis, iuuenis repentè corruit & expirauit, corpusque eius colliquescens diſparuit, multis aſſerentibus, illud in tartarum cum anima deſcendiſſe. Porro vir Dei caput virginis crebrò deoſculans, à lachrymis abſtinere non potuit. Deinde corpori illud apponens, & ſuo pallio tegens, ad altarè acceſſit Miſſam celebraturus. Ea finita, redit ad corpus virginis, luculentum ſermonem habet ad populum, dicit inter cætera, ſanctam virginem votum Deo nuncupãſſe, ſed illud morte impediènte reddere non potuiſſe: itaque orandum eſſe Deum, vt eam vitæ reſtituat. Cùmque diu oratum eſſet, vir beatus ſurgit à terra, manibus in cælum ſublatis, Domine

Parentes libenter aſſentiunt.

Cadoc' Regis filius ad concubitum prouocat.

Minatur ei mortem.

Illam contemnit.

Ab illo inferficatur.

Fons in loco martyrij erupit, adferens corporibus ſalutem.

Diuina vlcifcens repere perit Cadocus.

Iesu Christo, inquit, pro cuius amore hæc virgo terrena respuit, cælestia concupiuit: exaudi nos pijs animis te inuocantes, vt quauis non ignoremus eam pro tuo nomine passam, in cælis degere, nec nostro egere contubernio, animam tamen eius iubebas redire in corpus, vt magnificet nomen tuum, & post longa vitæ spatia, multiplicato bonæ conuersationis feruore, ad te redeat sponsum suum vnice charum. Vbi ab omnibus dictum est, Amen, puella, quasi à somno surgens, puluerem & sudorem à facie detergit, omnesque illic adstantes gaudio & admiratione afficit. Mansit autem in collo eius quo ad vixit, tanquam candidi filii species, locum sectionis obtgens: aiuntque viri regionis illius inde eam Vuenefridam dictam, cum antea, vt ipsi affirmant Breuna appellaretur. Vuen enim Britannica lingua, idem est, quod Latine candidum. Porrò euphoniæ causâ, prioris vocabuli duabus literis mutatis, dictam Vuenefridam.

Beunous ad  
vitâ reuo-  
cat S. Vuene-  
fridam.

Mulieres ex  
citata cre-  
dunt in Chri-  
stum.

S. Vuenefri-  
da multas  
nobiles fili-  
as Christo  
despondet.

Locus autem ille, vbi sanguis eius fusus est, non longè abest à monasterio Basinguuerco in Nouuallia, & antea quidem dictus est Siccauallis: post eius verò obitum vique in præsens, Fons Vuenefridæ appellatur. Lapidis quoque tam in fontis scaturigine, quam in riuo illius, seu vtriusque margine, eius adpersi cruore, & sanguinis eius tanquam congelati manifesta vestigia retinent, & neque temporis diuturnitate, neque aquæ praterfluentis alluione ea abolentur. Mufcus autem lapidibus illis inhærens, thus redolet. Homines regionis illius, qui Deum necdàm cognouerant, virginem rediuuam, fontem aquas manantem, & petras sanguine adpersas videntes, ad pedes beati Beunoi se abiecerunt, & ab eo baptizati sunt. Tandem autem sancta virgo ab eodem viro Dei sacrum velamen accepit. Ille autem, solo scipione assumpto, omnem domus suæ supellestem & quicquid fideles ei donauerant, sanctæ illi virgini & eius sociabus reliquit, atque aliò commigravit. Porrò beata Vuenefrida nobilium filias congregans, docebat eas amare castitatem, cunctisque mundi spretis illecebris, leui iugo Christi colla supponere, & regulari consecretanda disciplina, illius se seruitio mancipare.

Abbas  
Elerij laus.

S. Vuenefri-  
da virginibus  
præfici-  
tur.

Feliciter  
migrat ad  
Dominum.  
Miracula.

Defuncto autem beato Beunoo, sancta virgo, Deo ipsam admonente, ad sanctum virum Deiserum accessit. Erat enim is magnus coram Domino, ferturque fontem è terra excitasse, multos depellentem morbos. Cumque ad eum iret Vuenefrida, nocte oranti calidus hæc vox facta est: Dic charissima filia mea Vuenefrida, vt ad Saturnum (hoc enim viro nomen erat) sese cõferat, ab eoque discat, quo in loco omne reliquum vitæ tempus exigere debeat. Vbi sancta virgo ad Saturnum venit, ille ait ad eam: Est locus, quem Vuithericum vocat, ab omni populo admodum reuerenter habitus. Eum te iubet Deus adire, in eo donèc vixeris, commorari, tuisque exemplis alijs praluere. Est illic Abbas Elerius, multis ornatus virtutibus, quem perpetui gemitus & assidua preces adeò ab omnibus mundi huius curis abalienarunt, vt nihil iam terrenum sapiat, nihil rerum labentium expetat, totus cælestibus intentus. Fecit virgo sancta, vt erat iussa: Venienti autem Abbas Elerius, per spiritum sanctum eius cognoscens aduentum, obuiam proficiscitur, eamque honorificè excipiens, in virginum monasterium introducit, earumque curam ei mandat. Ibi sanè quisquis ad illam æger accessit, incolumis ab ea recessit: morentes omnes, animi lætitiâ reportarunt. Tandem nocte quadam oranti Iesus Christus apparuit, indicauitque propediem ipsam è corpore decessuram. Itaque quarto Nonas Nouëbris, plena virtutibus & operibus bonis, spiritum Deo reddidit, sepultaque est iuxta sanctum Chebeum & Senanum. Multa verò per illam præpotens Deus effecit miracula, inter alia fabri cuiusdam filiam, ab ipso ortu cæcam, illuminans.

Si pueri tenelli, aliquo corporis incommodo affecti & morbo correpti, in ipsius fontis scaturiginem mittantur, à matribus incolumes reportantur. Alia miracula præterimus. Post annos multos, putà à Christo nato anno millesimo centesimo tricesimo octauo, beatæ huius virginis ossa Solopiam in monachorum monasterium admodum honorificè translata sunt.

MARTYRIVM SS. Acepimæ Episcopi, Iosephi presbyteri, & Aithalæ diaconi, quorum festiuitas in tertium diem Nouembris incidit, habetur  
Tomo secundo, 22. Aprilis.